



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

44. An qui per donationem, vel furtum accipit bona naufragantium ab alio accepta, incidat in censuram Bullæ Coenæ? Et an, qui auxilium, consilium, mandatum, aut favore[m] præstant, vel ratum habent, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

nam. 53. exponens Bullam Xysti V. & Suarez, de cens. disp. 21. sect. 2. n. 18. exponens Bullam Clementis VIII. asserunt, non solum excommunicari discurrerentes mare Ecclesie; sed omnes Piratas depradantes in mari Christianorum, & in hoc sensu explicat Graffius illam particulam, *Mare nostrum*, id est, Christianorum.

2. Mihi verò magis placet opinio asserens, solos latrones maritimos qui discurrant mare Ecclesie, præsertim à monte Argentario, vltque ad Tarracinam hoc loco excommunicari. Imò etiam puto, quòd mare pontificium censendum videtur, quòd ad Pontificem pertinet, etiam mediate ratione feudi, sicuti pertinet mare Tyrrenum, quòd Regnum Neapolitanum, Corsicam, Siciliam, & Sardiniam attingit, vti notavit, alijs relatis, Bonac. tom. 3. de cens. disp. 1. q. 4. punct. 2. num. 4. E contra verò discurrerentes per mare sub alterius dominio constitutum, ibique depradantes, etsi veri Piratæ sint, in hanc tamen excommunicationem non incidunt: quia non comprehenduntur sub verbis Bullæ, ibi, *mare nostrum discurrerentes*. Quod etiam docet Castrus Palauus, tom. 5. disp. 3. q. 4. n. 3. Et ratio est: quia pœnæ sunt favorabiliter interpretanda: cum ergo lex ista pœnalis sit, intelligenda erit in verborum significatione, quæ accommodatur, & magis propria fuerit, qualis est explicare particulam, *mare nostrum*, in censura Pontificis, de mari Ecclesie; hoc enim proprius dicitur mare Pontificis, quàm ipsiusmet in propria persona loquentis, mare Christianorum dicatur.

3. Sed ex his oritur alia quæstio an Piratæ in dictam censuram incurrant discurrerentes per mare pontificium, si nullam depradationem actu exerceant? Et affirmativè respondent Duardus, Toletus, Reginaldus, Bonacina, & sub dubio Suarez, de cens. disp. 21. sect. 2. n. 19. Quia actio sub excommunicatione in his Bullis prohibita, est maritimus discursus animo depradandi: aliàs si depradatio, mutilatio, vel occisio necessaria foret, vti in Bullis Iulij II. & Gregorij XIII. expressum erat; vt quid à tempore Clementis VIII. hæc actiones à Bullis expunctæ sunt: Hæc sententia est satis probabilis.

4. Sed negativam sententiam probabilem etiam esse existimo; & vt verum fatear, ei magis adhæreo cum Soula in Bulla Cane, c. 4. disp. 26. num. 2. qui citat Vivaldum, & Sayrum, cui adde Castrum Palauum, vbi supra, n. 5. Et probatur: Latrones maritimi non excommunicantur absolute, sed in ordine ad depradationem: ergo si nullam exerceant depradandi actionem, excommunicationis gladio non feriuntur. Patet consequentia, Probatur antecedens: Quia latrones non dicuntur, nisi à latrocinio; vnde, qui nullam actionem latrocinij exercent, latrones dicendi non sunt, saltem in actu, & foro externo: ergo quandoque latrones absolute excommunicantur, intelligendi sunt exercentes latrocinij actiones: verba enim cum effectu accipi debent, vt habetur l. 1. §. Hec autem verba, ff. quod quisque Inris. Ex hoc sequitur, si latrones maritimi mare Pontificis discurrant, etià cum intentione depradandi, si nullam depradandi actionem exercent, non excommunicari: sola enim intentio ad censuram incurrendam non sufficit, nec omnis discursus prohibetur. Dixi, si nullam actionem depradandi exerceant: quia non opus est, quòd de facto depradatio sequatur: satis enim est, quòd depradari niantur occidendo, mutilando, invadendo, aut infecundo. Itaque dicendum est, quòd Piratæ, & latrones, non ab intentione depradandi, sed à depradatione ex officio, & proposito facta, denominationem recipiant, teste Ambrosio Calepino, verbo, *Pirata*, & seqq. Quapropter verba illa Bullæ, *mare nostrum discurrerentes*, appositæ censenda sunt ad præcedentia; ita

Tom. V.

vt sensus sit: *Excommunicamus omnes Piratas, Curfarios, & Latrunculos discurrerentes mare nostrum*, id est, qui mare nostrum discurrunt. Vnde, cum Piratæ, Curfarii, & Latrunculi non sint ante depradationem; hac excommunicatione adversus Pyratas lata, non afficiuntur, tametsi eo animo discurrant. Quòd verò Pontifices prædictas actiones mutilationis, occisionis, depradationis in alijs antiquioribus expellat omiserint; id videtur factum, quia ea expressio necessaria non erat; siquidem expressio nomine *Pirata*, satis subintelligebantur.

5. Nota hic etiam primò, quod qui ex officio nauticum latrocinium non exerceat, casu tamen semel navigantem depradatur; Censuram Canonis huius non incurrit. Secundò: qui indicto bello; sive iusto, sive iniusto hostes depradantur, in hanc excommunicationem non incurrunt: quia non animo depradandi, sed vindicandi, & puniendi hostes; seque ab illis defendendi, depradationem committunt. Tertiò: qui depradantur infideles, sive iuste, sive iniuste id faciant, per hanc clausulam non excommunicantur. Sed ex hoc vltimo notando insurgit difficultas: an depradantes infidelium navim à Christianis assecuratam; incident in censuram Bullæ? Affirmativè respondet Bonacina, tom. 3. disp. 1. q. 4. punct. 1. n. 13. quia censendi sunt Christianos spoliare, penes quos stat periculum rei assecurate. Idem affirmat num. 11. casu, quo à Principe Christiano securitatis privilegium concessum esset: quia cedit ea depradatio in damnum, & injuriam Christiani Principis, sitque contra voluntatem & intentionem Summi Pontificis. At ego adhæreo sententiæ negativæ Castris Palai, tom. 6. disp. 3. num. 7. quia huiusmodi damnum per accidens est, neque ex vi depradationis infidelium necessario sequitur, qua de causa non videtur sufficiens ad excommunicationem hanc inducendam: maxime, cum hæc excommunicatio non adversus damnum infidentes Christianis: sed adversus eos, qui Christianos depradantur, statuta sit: at depradantes navim, & merces infidelium, tametsi assecurate sint à Catholicis, dici non possunt Catholicos depradari; cum non depradentur bona Catholicorum, neque ad Catholicos pertinentia. Ergo in hanc excommunicationem non incurrunt.

Sup. hoc id
ref. seq. §.
Nota etiam
ad lin. 5.

RESOL. XLIV.

An qui per donationem, vel furtum accipit bona naufragantium ab alio accepta, incidat in censuram Bullæ Cane?

Et an, qui auxilium, consilium, mandatum, aut favorem præstent, vel ratum habent, vt bona naufragantium subripiantur, vel bona subrepta custodiant, incidant in censuram dicti Canonis?

Et an, si Christiani Piratæ naufragium faciunt, excommunicentur eorum bona subripientes?

Et notatur, quod qui subripit bona Christianorum, quæ in navibus Infidelium cum assecuratione illa reddendi certo loco, quomodocumque pereant, asportantur, non excommunicantur; si verò Christiani eadem obligatione Infidelium bona deferant, excommunicantur illa subripientes.

Et aliqua alia notantur, quæ contingere possunt in supradictis naufragiis circa supradicta, & circa alios diversos casus, & naufragia. Ex part. 9. tract. 8. & Misc. 3. Resol. 36.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Suarez, de cens. disp. 2. sect. 2. n. 3. vbi sic ait: [Potest contingere, vt quis recipiat talia bona sine villo antecedente pacto;

C 3

sed

ex naufragio sequatur: & contra evenit in secundo casu, cum illa bona fidelibus pereant, cō quod sunt apud Christianos quoad custodiam cum obligatione reddendi.

8. Notandum est etiam hic obiter primò quòd etiam si imminente tempestate, naufragique periculo bona in mare jactentur, eaque ibi jactata, vel in navi posita subripias, ab hac excommunicatione immunis sis; quia non verificatur, te bona illa subripere à naufragio passis, sed à passis naufragij periculum; quod diversum est. Ita tenet Palaus *ubi supra* num. 6. & alij penes ipsum.

9. Notandum secundò, supradicta non procedere, quando subripiuntur bona ex cymba in flumine percepta, quia ut ex Hugolino observat Soula, *disp. 37. n. 3.* Summus Pontifex solum loquitur de naufragio, quod fit in mari, neque idè de fluviali mentionem non fecit, quia minus est, sed quia de eo legem sancire noluit; nec illa, cum sit poenalis extendenda est. Si tamen ex naufragio maritimo aliquid accessu maris ingreditur flumen, & in ripa illius inveniatur, idem de eo erit judicium, ac de aliis rebus in littore ex naufragio maris inventis.

10. Notandum tertio, quòd si bona naufragantium accipias animo quærendi Dominum, illique reddendi, & interim rebus acceptis utaris, quin impotens reddaris ad satisfaciendum vero Domino comparenti, nullam excommunicationem incurris, quia illa non est subreptio, sed justa, & licita acceptio. Quòd si postmodum voluntatem mutas: nolique verum Dominum quætero, illique bona restituere, cum possis, incidis ad minus in excommunicationem latam in *cap. excommunicationis, de Raptorib.* ut notat Bonacina *tom. 3. disp. 1. g. 5. punct. 4. n. 5.* quia verè subripis bona naufragantium, neque ea restituas, cum possis. Quinimò existimo te excommunicatione bullæ inodari; quia ab eo puncto, quo voluntatem restituendi mutas, acceptio illorum bonorum injusta esse censetur: acceptio autem injusta, subreptio est; cui Bulla excommunicationem imponit. Ergo. Et ita docet Palaus *citato loco, num. 2.*

11. Et tandem notandum quartò quòd quando bona fidelium ab infidelibus sunt capta, licet in justè, non manet excommunicatus qui illa ex naufragio subripit: quando verò fideles bona rapiunt ab infidelibus, qui subripit ea ex naufragio fidelium excommunicatur. Probatur prima pars; quia bona, licet quoad dominium sint Christianorum, quoad usum, & possessionem sunt apud infideles: ergo non censentur bona naufragantium Christianorum, sed infidelium, de quorum bonorum subreptione Censura non loquitur. Secunda pars eadem ratione ostenditur; nam cum possessio, & usus bonorum infidelium in hoc casu apud fideles inveniatur, ab illis immediatè subripitur censetur. Ita Soula *disp. 35. n. 5.* Et hæc sufficiat annotasse ad ornatum dicti Canonis Bullæ Cænæ, ut magis practicabilia.

RESOL XLV.

An incidant in censuram Bullæ Cænæ deferentes infidelibus pecunias, merces, & victualia, etiam belli tempore? Et an nuntius deferens infidelibus litteras, sciens continere revelationem secreti Reipublice Christiane incorrat censuram Bullæ Cænæ?

Et quid est dicendum, si aliquis revelet secretum Reipublice Christiane alicui fidei, qui creditur revelaturus infidelibus, an iste incurrat censuram Bullæ Cænæ? Et an vendentes arma infidelibus, in terris tamen Christianorum incidant in censuram dictæ Bullæ? Idem est, si vendant, iis quos certo sciunt ea ad infideles esse missuros.

Quod idem dicendum erit de commutantibus arma pro armis, ut enses pro hastis, &c. Et an deferens prohibita, quando aliter captivi redimi non possunt, excusetur a prædicta censura? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Refol. 16.

§. 1. **A**D hoc dubium respondet Soula in *Bull. Cænæ, cap. 8. n. 5.* & sic ait: [Tollet, docet, non comprehendi in hac clausula, qui merces, victualia, ac similia, etiam belli tempore, ad fidei inimicos deferunt: quamvis excommunicentur in jure. Probat ex verbis sequentibus, scilicet: *Quibus Christianos, & Catholicos impugnant.* Quæ verba cum præcedentibus conjunguntur; meritis autem, & victualibus nullus impugnatur. Placet tamen cum Caiet. in *sum. verb. Excommunicatio, c. 20. & Suar. n. 56.* si huiusmodi victualia, vestes, & quæcumque merces tali tempore, & opportunitate deferantur, ut moraliter censeri possint instrumenta, & auxilium ad bellum gerendum, excommunicari ea deferentes. Ita Soula. Cum Toletio consentit Sayr. de *cens. lib. 3. cap. 1. n. 12.* & alij. Cum Suar. verò Bonac. *tom. 3. disp. 1. g. 8. punct. 2. n. 4.*

2. Sed novissimè opinioni negativæ Toleti adheret Caltrus Palaus *tom. 6. disp. 3. punct. 8. n. 7.* [Tum, quia non est certum in hac excommunicatione comprehendendi auxiliares, consulentes, aut faventes quomodolibet infidelibus, & hæreticis in damnum Catholicæ Religionis, sed necessariò requiri, ut auxilium sit in monitione de statu Christianæ Reipublice; quia de his fuit sermo prius factus, & relativum, *illis, & ad id*, quod ad immediatè præcedentia refertur, id denotat. Præterquam quòd, non de auxilio, consilio, vel favore Turcis, aliisque Christianæ Religionis inimicis videtur intelligendum, sed de auxilio præstito ipsis Catholicis, ut certiores faciant Turcas de statu Reipublice Christianæ, ita ut sensus sit: *Excommunicamus illos, qui per se, vel alios, de rebus statum Reipublice Christiane concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt illisque, scilicet, faventibus Hæreticis, ad id, hoc est, ad prædictum effectum monendi Hæreticos, auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant.*] Hæc Palaus.

3. Ego verò utramque sententiam probabilem esse puto; sed veriore secundam existimo: quia in his rebus, auxilium, & favor quomodolibet præstatur nostræ Religionis hostibus. Nullum enim auxilium bello aptius est, quàm pecuniarum, mercium, & victualium. At in prædicta clausula videntur excommunicari omnes auxilium, consilium, vel favorem inimicis nostræ Religionis præstantes. Ergo.

4. Sed hic obiter quæro primò: An nuntius deferens infidelibus litteras, sciens continere revelationem secreti Reip. Christianæ, incurrat censuram Bullæ? Affirmat Soula, *ubi sup. disp. 50. n. 4.* Quia, ait ipse, qui applicat ignem, moraliter loquendo, verè dicitur comburere: ergo, qui deferit epistolas, vel alterius dictum denuntiat, verè moraliter eos certiores facere censetur.

5. Sed Palaus *ubi sup.* docet, quòd alij non improbabiler contrarium asserunt; quia revelatio, cum sit quædam manifestatio, & loquutio, nullatenus præstatur à tabellario litteras sigillatas deferente; non enim ipse revelat, sed revelationem deferit. Applicans autem ignem dicitur comburere: quia ignis solum physicè, non moraliter combustionem præstat: at litteras mittens, & physicè, & moraliter secretum revelat; eaque de causa deferens revelationem ab hac denominatione revelantis excusari potest. Verum opinionem Soula tenet Suarez de *cens. disp. 2. m. 58.* Hugol. Duard. & alij.

Sup hoc fac
fra in ref.
49 §. ult. &
Sed lege eam
à principio,
& in rom. 9.
tr. 13. ref. 8.
& c. d. post
medium, ver.
Nota etiam.